

COLLEGIUM UNIVERSITATIS,
 MENSIS, IN LAUDEM DEFIENSIONEM,
 TQVE IFAVOREM DOCTRINAE EIVSDEM
 DIVI DOCTORIS. S. THOMAE DE AQUINO.

NEVERSAS praesentes literas inspecturis, Stephanus permissione divina Parisiensis Episcopus, Salutem in omnium Salvatore, Magistra rerum experientia, certis iudiciis euidenter demonstrat, in multa quibusdam temporibus ordinata consule, novis emergentibus causis, succedentibus temporibus, in contrarium debere consultius immutari. Dudu siquidem felicitis memoriae quidam praedecessores nostri Parisienses Episcopi, quosdam articulos (ne forsitan eos male intelligentes, caderent in errorem) tamquam erroneos, per communicationis sententia damnauerunt, & interdixerunt expresse. Quorum tamen nonnulli doctrinam eximii doctoris Beati Thomae de Aquino de ordine Fratrum Praedicatorum, tangere ab aliquibus aliantur. Quia articulorum & sententiarum promulgationem, Venerabiles viri, Decanus & capitulum ecclesiae dominae nostrae, sicut veritatis zelatores, intumescit considerantes, necnon doctrinae ac fame, Beati Thomae praedicti in iustam denigrationem, veritatis occultationem, & Sanctae Romanae ecclesiae aliqualem dehonorationem, per venerabilem virum, magistrum Annibal dum, Decanum, Attribatensem Archidiaconum, sacrae Theologiae doctorem, & dominum Petrum de Fagello, Parisiensem Canonicum, eorum propter hoc nuncios, ad nos specialiter destinatos, nos requisierunt, nobisque supplicauerunt, quatenus vocatis omnibus sacrae Theologiae Doctoribus, ac cum eisdem communicato consilio, & deliberatione habita diligenti, & cum aliis etiam, qui de talibus & in talibus plura possunt, veritatis viae apperiremus, per quam in praedictis articulis, in quantum doctrinam Beati Thomae praedicti, & Doctoris egregii tangere possunt. Sanctae Romanae ecclesiae ac Sancti praedicti & doctoris venerabilis honorem & reuerentiam seruariemus. Nos igitur attendentes cum iis, quod sacrosancta Romana ecclesia, mater omnium fidelium, & magistra fidei & veritatis, in firmissima Petri Christi Vicarii confessione fundata, ad quam velut ad universalem regulam catholicae veritatis, pertinet approbatio doctrinarum, declaratio dubiorum, & terminatio tenendorum, & confutatio errorum, praefatum doctorem eximium & venerabilem, cuius doctrina fulget ecclesia, ut sole luna, nuper sanctorum confessorum carhalogo ascribedum decrevit, diligenti discussione & examinatione habita super vita sancta, & doctrina clara ipsius, ipsumque quo ad vitam puram, & doctrinam salubrem, orbi terrae dignum & commendabile praedicavit, cupientes gloriosum Deum in sanctis suis, apud fidelium deuotionem, in terris gloriosius exaltari, ac sacratissima matris nostrae praedictae desiderantes uestigia sancta imitari, dictumque confessorem & doctorem gloriosum, feliciter in caelis regnantem, apud terrigenas deuotius & celebrius honorari, & praefectum cum fuerit uniuersalis ecclesiae lumen praesulgidum, gemma radians clericorum, fons doctorum, & vniuersitatis nostrae Parisiensis speculum clarissimum, & candelabrum in signe ac lucens, per quod omnes qui vias vitae & scolas doctrinae sanctae ingrediuntur, lumen vident, claritatis vitae, fame clarae, & scientiae lucidae, velut stella splendida & matutina a resurgens, per venerabiles ac dilectos consiliarios nostros fideles, Magistrum Vgonem de Bisuntio Cantorem Parisiensem, Magistrum Stephanum de noua Villa, & Dominum Odonem de Senonis, Canonicum Parisiensem, inquisitione facta super dictis articulis, apud doctores theologice facultatis, & eorum congregatione generali regentium & non regentium, secularium & regularium ad hoc specialiter conuocata, conperto per Dei gratiam, dictum confessorem Beatum, & Doctorem egregium, nihil sensisse, docuisse seu scripserisse, quod sanctae fidei, vel bonis moribus aduersetur, de consilio Venerabilium virorum Decani & capituli Parisiensis, & Venerabilis Patris Domini Gulielmi, Dei gratia Vicenensis archiepiscopi, sacrae theologiae professoris, & aliorum uigintitrium magistrorum in theologia, una cum Reuerendo patre supra dicto in literis, cum eorum sigillis per praefatos commissarios nobis commissos, necnon & trigintanorum bachelariorum in theologia, super haec per literas eorum, propriis subscriptionibus & sigillis munitis, super hoc consulenti & roganti humiliter & deuote, & aliorum discretorum solenni ac maturo consilio super hoc habito, supra dictam articulorum condemnationem, & excommunicationis sententiam, quantum tangunt, vel tangere asserunt, sanam doctrinam Sancti Thomae praedicti, & doctoris eximii, ex certa scientia, tenore praesentium totaliter annullamus. In cuius annullationis testimonium, sigillum nostrum praesentibus est appensum, Datum apud Bertiliacum, Anno Domini 1325. Die louis ante sacros cineres.

